



# DISSERTATIO IN ILLUD ISAIÆ

Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Isaiæ 7. 14.

**R**egni Juda prostratis rebus, Achaz armis Regum Samariæ, & Damasci pressus, cum imparem se validissimis illis adversariis sentiret, de imploranda Regum Assyriæ ope consilium agitabat. Cum Dominus ad Isaiam 7. 3. 6. Egredere, ait, in occursum Achaz, tu, & qui delictus est Isasub filius tuus; & dices ad eum: Noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium istorum, in ira furoris Rasin, Regis Syria, & filii Romelia; non enim stabit & non erit istud eorum in Juda consilium. Jussiones executioni mandavit Isaias; & cum pollicenti Achaz fidem renueret, adjecit Propheta. V. 11. Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo Domus David: nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum; ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum; quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, à facie duorum Regum suorum. Coram duobus testibus scripsit deinde Propheta verba illa: *Velociter Spolia detrahe* (m); tunc accedens ad Prophetisam uxorem suam, foetam illam filio reddidit, quem deinde in lucem emisit: Et dixit Dominus ad me, addit idem Propheta: *Voca nomen ejus: Accelera, spolia detrahe, festina pradari; quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samaria coram Rege Assyriorum.* Verba deinde apud populum Juda habens Propheta Isai. 8. 18. annuntiavit: *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in postentum Israel, ad Dominum exercituum, qui habitat in Sion.* Prosecutus deinde, exposuit ultionem Domini in caput duorum Regum imminentem, cum & prospera omnia à Regno Juda speranda, adjecit cap. 9. 6. 7. *Parvulus enim natus est*

in Isai. 8. 2.

*nobis, & filius datus est nobis. Et factus est Principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus Imperium, & pacis non erit finis: super solium David & super Regnum ejus sedebit, ut confirmet illud & corroboret in judicio & iustitia, amodo usque in sempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc.*

Hæc tota Prophetiæ series in examen revocanda, quam totam oculis subjectam habere oportet, ut rectum de illa iudicium feratur. Una est Ecclesiæ Catholice de illa sententia, spectari scilicet eo vaticinio filii Dei Incarnationem, & ejusque à Virgine parente nativitatem. Veteres Patres totam Messiam vindicant; nomine *Virginis*, quæ Emmanuelem concepit, designatam credunt Mariam Jesu Christi parentem; quemadmodum illam agnoscunt in *Prophetisa* capitis 8. Sicut de Filio Dei interpretantur filium, cui nomen, *Velociter spolia detrahe*. Duo Reges armis Judam opprimentes, sunt scelera, idololatria, infidelitas (n).

Sanior tamen recentiorum Catholicorum Interpretum pars duas ibi personas, conceptum foetum in lucem emittentes, distinguunt; alteram nempe Mariam Virginem, quæ Jesum Christum verum Emmanuelem peperit; alteram Prophetisam uxorem. Isaiæ matrem filii, cui nomen, *Velociter spolia detrahe*. Reges Judam aggressi, sunt Phacee filius Romeliæ Samariæ Rex, & Rasin Damasci. Isaiæ filius futuræ mox liberationis Regni Juda pignus datus est; Deus enim fidem suam obligat Regi Achaz futurum, ut antequam puer à bono malum discernat, atque parentes nomine appellare norit. Regio Juda exactis duobus Regibus in libertatem asserenda esset, devictique hostes in prædam Regibus Assyriæ permittendi. Verus Emmanuel ille est, de quo cap. 9. dicitur: *Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, quem Principem filius Isaiæ tanquam symbolum & imago designabat.*

Veterum Hæreticorum quidam (o) contendebant, Jesum Christum à Maria quidem

n Euf. & Hieron. in Isai. 7. & 8. Aug. de Civit. l. 17. cap. ult. Epi. ph. heres. 78. Amb. lib. 1. in Luc. Tertul. de Trinit. Ita & Basil. Cyril. Procop. alii.

o Cerinthus, Carpocrates, Helicæ, Ebionitarum, nonnulli.

dem parente non Virgine ex Josephi conjugali propagatione quemadmodum ceteri homines, prodiisse. Quorum sententiæ cum apertus Evangeliorum textus repugnaret, ideo cum salva ejus autoritate eam sustinere non possent, maluerunt vel Sacrum Librum recententes corrumpere, vel totum, vel partem rejicere. Eorum blasphemiam olim impietatis damnatæ apud Veteres, nullum, quantum scimus, nostrâ ætate patrociniū nactæ sunt.

Dissent inter se Judæi in hoc de ortu Messie argumento; alii enim à Virgine, alii à nihilo deducendum arbitrantur; junctis tamen viribus conveniunt omnes in Catholico dogmate refutando, nempe Jesum Christum verum esse Messiam, & à Virgine prodiisse. Contendant autem oraculum. Isaiæ non Messiam, non Jesum Christum ejusque natalia & matrem, sed Ezechiam (p), sive filium Isaiæ (q) illum, cui nomen, *Velociter spolia detrahe*, spectare. Hunc illi sensum pronum & obvium esse à sermonis contextu arbitrantur. *Vox Alma*, quam nos reddimus, *Virgo*, sonat tantummodo *Juvenulam*; hic autem denotat sive uxorem Achaz, sive Isaiæ. Non recentiores ista quidem Judæi excogitarunt; vetus est enim illorum commentum, de quo Tryphon in dialogo S. Justini.

p Ita Tryphon Judæus in Dialogo S. Justini, Hebræi apud Hieron. in Isaiam, Kimchi, q R. Salomon, Lipman. Menasse Ben-Israel, alii plerique.

Si probandæ Messie nativitati à Virgine Parente nullum aliud suppeteret nobis quàm ex eo Vaticinio documentum, arduo planè opere Judæi revincerentur. In ea enim, qua obfirmatum animum gerunt, obstinatione, plures invenirent detortas explicationes, quibus veritatem eluderent. Sed si illi bonâ fide causam agere voluerint, vix erit, ut hujus veritatis documenta per totam undique Scripturam sese offerentia agnoscere recusaverint; cum iis utatur phrasibus Sacra Scriptura, quæ proditura Messiam insuetâ quadam & legibus naturæ superiori ratione planè demonstrant. Ita quo tempore Jesus Christus in orbe apparuit, ad eam recipiendam veritatem omnes æquè Judæi inclinabant. Apostoli demonstrandæ veritati pluribus congestis argumentis se totos contulerunt. Porro si Judæi tunc de nataliis Messie aliter sensissent, futurum scilicet ut à conjugio Messias prodiret, turbas concivissent in Apostolos. Rari & fortè nulli in animum sibi potuissent inducere, quæ de Virginitate Mariæ ferebantur; eique probandæ etiam atque etiam Apostoli, & Evangelistæ insisterent. Igitur tunc temporis, si dogma illud non obtinebat, certè nulla contraria sententia invalerebat apud Judæos, ut nomen, sive alteram opinionem admittere, perinde haberent.

Profectò si Messias communem cum cæteris hominibus nascendi rationem sortiri debuisset, testimonia Scripturarum de illo conciliari quæ possent? Legimus scriptum, egressurum illum à genere Abraham, à Tribu Juda, & familia David, habendum ludibrio, injuriâ afficiendum, ac tandem necesse perimendum. Legimus vicissim Deum esse (r); Æternitati eorum esse (s); ejus esse ineffabilem nativitatem (t); pro-

r Is. 9. 6. s Is. 9. 7. t Is. 53. 8.

diisse à sinu aternitatis (u); tanquam germen ex arida terra erupisse (x); tanquam germen iterum à radice Jesse (y). Nusquam aliquid legimus de ejus in carne genitore; dicitur quidem genitus in sinu aure; Dominus David appellatur (z); Filius Dei (\*); nihil ab illo sceleris commissum, nunquam dolum ex ore ejus prodiisse (a); summâ quadam excellentiâ justum vocari (b); nostris se criminibus & sceleribus onerasse (c), cum alioqui nemo hominum sine peccato conceptus prodierit (d), nullus criminis maculâ immunis, nec infans unius diei (e). De Messia scriptum lego, semen illum esse mulieris caput serpentis contriturâ [f]; futurum, ut à Cœlo instar roris & pluvie dilabatur (g). Omnia simul hæc nullo negotio conciliarem, ista simul colligens; nempe Jesum Christum Æterno Patre factum ante omnia sæcula, à Virgine Maria, mirâ quadam partus ratione prodiisse; quæ planè Virgo à genere Abraham ex familia David ad Tribum Juda spectavit.

Quod autem ad Oraculum Isaiæ attinet, quando nos id Judæis daremus, designatam ad literam uxorem Isaiæ, matrem Emmanuelis, alio nomine dicti, *velociter spolia detrahe*; quid inde illi? An fortè ex eodem oraculo excluderentur Jesu Christi natalia à Virgine parente? An fortè unus sensus alterum non patitur? Nonne illi, non secus ac nos, in ea conveniunt sententia, prophetias ferè omnes sensum admittere duplicem, literalem, & figuratum? Illorum etiam confessione constat, e. g. Messiam à mortuis ad vitam fore revocandum; frustra enim alioqui conciliarentur Scripturæ nunc de obitu ipsius, nunc de Regno illius æterno testimonium ferentes. Quæ cum ita sint, Judæi tamen nullum habent certius ejusdem veritatis argumentum, quàm Jonæ à ventre Ceti egredientis historiam. Hanc Parentibus illorum, resurrectionem negantibus, Jesus Christus oggessit. Nihil est tamen hæc præterquam resurrectionis figura. Quare fateamur oportet, certum quoddam figurarum genus esse, à quibus validum ducitur argumentum; sicut & quædam oraculorum genera, quorum fides, licet in Veteri Testamento impleta constet, adhuc tamen in novo implenda per Messiam expectatur.

At enim quomodo conceptus cæterorum hominum more foetus potest natalia Filii à Virgine parente designare? Debit Messie Parens eo privilegio donari, quo varia inter se oracula supra à nobis deducta conciliantur. Deus per figuras, & symbolum voluit dotem illam præmonstrare; cum enim nil in natura exactè Virginis foetæ prodigium repræsentet, ideo oraculo prænunciari jussit futurum, ut Virgo conciperet, & pareret filium. Sit, esto, Virgo illa Uxor Isaiæ, quæ filium ad naturæ leges ediderit; an proinde foetum Virginis parentis non designabit? Porro verba ad literam rigorem nonnisi cum Parente Virgine quadrant. Quot insuper miracula huic figurativæ veritati demonstrandæ in Uxo-

u Mich. 5. 2. x Is. 53. 2. y Is. 11. 1. z Ps. 109. 1. \* Ps. 2. 7. a Is. 53. 9. b Is. 41. 2. 10. c Is. 45. 8. d Ps. 50. 7. e Job 15. 14. f Gen. 3. 15. g Is. 45. 8.

re Isaie patrata sunt? Virgo potuit sterilem Virginitatem servare; potuit concipere, nec tamen filium; potuit concipere filium nec tamen usque ad partum perducere; potuit filius nasci, natusque interire. Sed Isaías hac omnia uno suo oraculo superat; futurum enim praedicit, ut Virgo concipiat filium, & filium à partu superstitem; quo nondum à bono malo praestate discernere valente, neque Parentum nomina adhuc balbutiente, Judae regio ab hostium timore relevabitur. En plura simul prodigia, quae simul omnia Deus contulit uni Virginitati Parentis Messiae demonstrandae, in foetu juvenulae Uxoris Prophetae per figuram significata.

Nil igitur pro Judaeis, si forte oraculi sensum ad literam rigorem Isaiae designare dixerimus. Neque enim juxta praestruata ab illis principia excluderetur, eodem simul oraculo natalitia Messiae per typum filii Prophetae designari. Aequè etiam potuit Virginalis Mariae fecunditas foetu prodigioso juvenulae, ac tandem liberatio humani generis, excussis à Regno Juda hostibus, exprimi. Si quis enim figuras Veteris Testamenti planè & per omnia cum exemplaribus congruere exigat, illi sanè nullae in toto Veteri Testamentoprehenderentur. Quis enim nesciat, plures in imagine defectus occurrere, quibus ab originalis perfectione illa decidit?

Quae nos deneganda Judaeis censuimus, haec illis Grotio in Matt. 1. concessisse visum est; quam tamen viri docti confessionem nihil isdem Judaeis profuisse contendimus. Autumat igitur, Emmanuel alterum esse nomen ejusdem filii Isaiae, appellati *velociter spolia detrahe*; cui frater alter ejusdem Prophetae filius natus major *Sear-Jasub* accesserit. Totum autem Prophetae sensum ita reddit: *Quod fidem suam liberaret Deus, futurum spondit, ut antequam nubilis filia junctis connubiis conciperet & pareret, antequam ejus juvenulae filius bonum à malo praestate distinguere nosset, sicut & balbutire parentum nomina, ab hostium metu omnis Judae regio liberaretur. Secundum hac, Isaías puellam Virginem coram testibus duxit, quae conceptum filium, antea sub nomine *Emmanuelis* praedictum, appellatum verò à parentibus, *velociter spolia detrahe*, peperit. Addit autem Grotius, haec ad literam exposta, commode tamen elationi sensu, ad Messiam referri posse, ut quae de puella uxore Isaiae, haec de Virgine Matre Jesu Christi; quae de Emmanuele filio Isaiae, de Jesu Christo filio Dei exponantur.*

Hoc systema non recens quidem inventum est, cum S. Hieronymus in Isai. 7. refertur: *Quidam ex nostris Isaiam duos filios habuisse contendunt, Jasub, & Emmanuel: quae relata sententiam S. Doctor nullà censurà, quin nec falsitatis inurit. Nos tamen ad eas angustias in explicatione hujus oraculi non redigimur. D. Bossuet Episcopus Meldensis, qui datà operà in hoc vaticinium scribendum assumpsit, duo simul spectata observat; praesentem nempe, & remotam alteram historiam. Quod oculis*

praesens spectabat, ortus erat filii Isaiae; sive Regis Achaz, non enim quem potissimum ex illis designet oraculum apparet; ejus autem natalitia tanquam pignus liberationis Judae exhibentur. Remotum illud, quod à Propheta spectabatur, natalitia erant Jesu Christi de Virgine parente, à quo peccati pondere oppressus mundus relevandus expectabatur. Primum illud veluti secundum illius pignus erat, & argumentum. Cum David de adventu Messiae sermone inducturus esset, primum sibi loquendum censuit de Salomone filio suo; deinde subito velut impetu ad Messiam rapitur. Huic planè contrariis Isaías; in exordio enim sermonis de Messia agens, deinde de Achaz filio vel suo prosequitur. Filios Isaiae habuit populus tanquam prodigium, & pignus futurae liberationis: eà occasione Dominus adventum filii sui ejusque natalitia de Virgine Parente in salutem totius generis humani praedicit.

Ne autem gemini Isaiae liberi cum Messia confunderentur, peculiaribus adè characteribus singulos describit, ut alterius alteri ne convenire quidem possint (h). En quae Messiae tantum aptantur: *Virgo concipiet & pariet, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: & illud: Adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Assyriorum, & omnem gloriam ejus; & erit extensio alarum ejus implens latitudinem terra tua, d Emmanuel (i). Est igitur Emmanuel Dominus & Princeps Regionis Juda, alter proinde à filio Isaiae, alter est etiam à filio Achaz, quemadmodum infra à nobis demonstrabitur. Sed en aperitius aliquid (k): *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis. Super solium David, & super Regnum ejus sedebit, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & justitia, a modum & usque in sempiternum. Zelus Domini exercituum fecit hoc. An forte haec cum filio Isaiae, vel Ezechiae, sive alio quocumque hominum quadrent?**

Characteres geminis filii Isaiae ita peculiare, ut ne confundi quidem illos cum altero, de quo hucusque, permittant, ii planè spectantur: *Butyrum & mel comedit, ut sciat reprobare malum & eligere bonum. Quia antequam sciat reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, à facie duorum Regum. Postquam Propheta haec Regi oracula pronunciaffet, domui suae sese restituens, coram duobus testibus scripsit in Libro (l), *velociter spolia detrahe*, quod nomen erat filii: mox sibi orituri, cujus verba fecerat ad Regem. Prophetissa ejus uxor concepit, juxta oraculi fidem, & peperit filium, assignato divinitus nomine appellandum. Tunc iterum Dominus factas antea promissiones innovans, futurum spondit, ut antequam filius parentum nomina balbutiret, divitiarum Damasci, & spolia Samariae Regibus Assyriae in praedam essent; quod biennio circiter*

*h Isai. 7. 14.*

*i Isai. 8. 8.*

*k Isai. 9. 6. 7.*

*l Isai. 9. 1. 2. 3.*

ter post impletum scimus in desolatione Regnorum Samariae, & Damasci armis Te-glathphalassarum Regis Assyriae.

Filio Isaiae natu majore nomen fuit *Sear-Jasub*, nempe, *Reliquum redibit*. Ex quo certum capiendum erat Regi & populo Juda argumentum, eos, quos praesentium temporum iniquitas solum vertere coegerat, sive belli iniquitatis necessitas in captivitate hostium deduxerat, in patriam postliminio redituros. Eo filio comitatus Propheta Regem convenit, annuncians natalitia Emmanuel, & alterius, cui nomen, *Velociter spolia detrahe*. Amorum filiorum occasione illud effatus est Isaías: *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & in portentum Israel. Erant enim reverà gemina prodigia, & Oracula spirantia.*

En igitur trium hominum characteres, Emmanuelis, *Velociter spolia detrahe*, & *Reliquum redibit*. Virgo Maria conceptum Emmanuelem sive Messiam peperit; Prophetissa filium edidit, cui nomen, *Velociter spolia detrahe*. Ex his omnibus id resultat: vir ille nomine Principis pacis, Consiliarii, Dei fortis, Admirabilis expressus, alter est planè ab eo filio, quo nondum usum rationis attingente, oraculis Isaiae sua fides ex eventu consistare debuisset.

Plura sunt, quae in hac sententiam congeruntur, nihil tamen solidi praeter unicum argumentum, cuius nos totam vim pandimus. Emmanuel Regi Achaz totique domui David promissus, idem est de quo statim subditur: *Butyrum & mel comedit: antequam sciat reprobare malum & eligere bonum, derelinquetur terra à facie duorum Regum.* Neque enim aliter Propheta sensus consistere videretur; quippe qui in eadem simul periodo prius de uno, deinde tactus ad alterum nullà ratione cum priori conexum transisset. Porro infans ille, quo nondum usum rationis attingente pacata ab hostibus ditio reddenda fuerat, ipse est Isaiae filius, *Velociter spolia detrahe*. Est igitur Emmanuel ipsissimus Isaiae filius; quod planè statim intelligimus, cum gemini illi textus una sermonis serie, quemadmodum & à Propheta pronuntiati sunt, juncti legantur. Consistat enim in verbis 14. 15. de eodem Emmanuele sermonem fuisse.

m *Euf. in Isai.*  
7. & in *Isai.*  
8. 12. *Hieron.*  
in *Isai.* 8. 1. 2.  
3. pag. 75.  
75. *Promittitur ei Virgo paritura Filium, cuius nomen sit Emmanuel.*  
Rursus ergo sub alia figura pariter describitur Virginalis. *Nempe cap. 8. 1. 2. 3. Ita Aug. de Civit. 1. 17. c. ult. Epiph. her. 78. Euf. l. 7. de Demonstr. c. 2. Ambros. in Luc. c. 2. n. 41. Tertull. de Trinit. Ita & Cyrill. Basil. Procop. Rupert.*

illi Viri vix fieri posse, ut haec Oraculi partes divellantur, quin totum simul eorum systema atque tota vis Oraculi, de Messia prolato convellatur. Quae argumentandi ratio apud illos multò constantior est, quam recentiorum Commentatorum, qui autoritate Patrum primae & postremae prophetiae parti de ortu Jesu Christi exponendae usi, de reliquo, illis neglectis, novam sibi viam struxerunt.

Illud etiam contra idem systema ingerunt, nunquam fieri posse, ut Achaz & populus universus, quibus verba faciebat Isaías, aliter Oraculum de Emmanuele intelligerent, quam quòd nasciturus Prophetae filius expectaretur. Profratris ditiois illius rebus, Achaz in ultimam desperationem adducto, quòd imparem se duobus simul Regibus sentiret, Isaías solatium aliquod allaturus consernatis venit. Eredii in spem animi prodigiosum aliquid à manu Dei expectabant, quòd tandem prius felicitatis serenitas tot procellis afflicto Regno restitueretur. Oraculo praedicit Isaías futurum, ut intra biennii sive triennii spatium rebus hostium profratris, ejusque dispendiatis viribus pax afflicto restitueretur. Huius promissionis pignus exhibitur, dandum mox infantem denunciat, nondum adhuc conceptum; quo nondum discernendi malum à bono facultate instructo, sua futura esset oraculo fides. Nonne hiantes corvos decepsisset Propheta, si promptam aliquam opem sperantibus, cuius habituri essent veluti argumentum natalitia promissi Infantis, Messiae adventum post septingentos tandem annos implendum promississet?

Tandem, reponunt, vocem *Alma*, quam nos reddimus Virginem, maximum nostrae hypothesi fundamentum, varia esse, si que alia usquam, significationis in Scriptura. Interdum enim exprimit Virginem claustrato tutam, ab injuriis hominum castitatem defendentem; non raro juvenulam, quaecunque tandem illa sit, nihil ejus virginitate spectatà; quandoque puellam quae à virginitate exciderit. Uno verbo sicut Graecam *Parthenos*, & Latinam *Virgo* abusione quadam interdum de puella etiam matrimonio junctà usurpatur; ita pariter Hebraeam *Alma* varie sonat pro rerum connexionem, & sermonis contextum. Hac omnia, allatis argumentis, statim demonstrabimus.

Cum itaque in Prophetae contextu jungatur vox *Alma* illi sententiae; *Concipiet & pariet filium*; ita accipiendae est quasi Virginem designet mox elocandam, quae deinde conjugii fructum filium pariet; vel etiam puellam jam nuptam, futuram deinde conceptis naturae legibus matrem. Non aliter Rex Achaz caterisque vaticinii sensum assequi potuissent, satisque ex contextu sermonis vocis *Alma* significatio determinatur. Si quid autem prodigii Rex expectabat, non illud erat, infantis à Virgine parente natalitia, sed illud solummodo, nimirum assertionibus Prophetae necdum conceptum filium de puella oriturum, cuius exhiberentur natalitia, tanquam pignus & argumentum rei, quae tum temporis ex-

pe-